QVÆSTIO DE BONA FIDE IN PRÆSCRIPTIONIBVS:

Quam

Præsidente Admodum Reuerendo & Clarißimo Domino

D. IACOBO NAYMANOWIC

I. V. Doctore & Professore ORDINARIO, Archidiacono Pilecensi, &c:

ANDREAS PETRICOVIVS I. V. B.
pro Licentia in Vtroq; Iure assequenda
publicè ad disputandum proponet;

24. Ianuar.

ANNO DOMINI. M. DC. XVIII.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typ.

IN ARMA
Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,
D. MARTINI SZYSZKOWSKI,
Episcopi Cracouień. &c. &c.



O fortunatæ Lunæ, clarißima Regni
Lumina, & à primis condita temporibus.
Vos vos pro Patria, pro vestris Regibus, omni
Tempore, sollicitis estis in excubiis.
Vosq; ita Craceis radiatis ouilibus, hinc vt
Debeat exemplum sumere posteritas.

Jllustrißimo & Reuerendiß: Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei gratia Episcopo Cracouień: Duci Seuerień. &c. &c.

Domino, D. & Patrono suo, S. & F.

BONO PVBLICO introductam esse Vsucapionem atque Præscriptionem, docuit Gaius noster in lib: ad Edictum Prouinciale: cùm propterea quia interest Reipubl. ne Dominia rerum sint incerta; tum quia imponendus erat modus aliquis & finis perpetuis litibus; demum quia negligentia Domini circa rem suam non debet esse impunita. Atque iis etiam de causis Sacri Canones (vt non dedignantur plerunque Iura sequi Ciuilia) locum fecêre Præscriptioni in foro Ecclesiastico; vt is qui Bona fide, iusto titulo ac legitimo tempore, rem alienam tanquam suam posse-

derit, de eius Dominio non ampliùs periclitetur. Inuênit tamen quod vltrà in his quæreret docta curiositas, dum vocat in dubium, An in foro quod dicitur conscientiæ tutus sit, qui Præscriptione, vel Vsucapione acquisiuit Dominium rei? præsertim si postmodùm certus sit illam fuisse alienam. Et quanquam frequentiori DD. calculo definitum sit, nihil hîc subesse periculi: non desunt tamen qui dum securitati internæ plus nimio prospiciunt, nodum in scirpo inuenerunt. Nimirum satis non fuit iustis hominem angi atque teneri difficultatibus; nisi scrupulis etiam premeretur vltro quæsitis. Hoc igitur quidquid est controuersiæ, dum in Academicum examen & publicam disquisitionem profero: Te mihi, Illustrißime Domine, Arbitrum, Te Iudicem & Patronum totius negotij exopto. Nam si tranquillitati animorum consulendum hac in parte sit: ecquis eam feliciùs nobis præstare ac restituere potest Præsule & Pastore nostro, quem summa pietas, & illæsa mentis puritas supra humanum fastigium iam propè extulit. Deinde si ad Fori subsellia atque Tribunal prouocandum videatur; profectò non alium causæ huic Iudicem vel ipsa Themis deligeret, quàm

ret, quàm Illustrißimam Celsitud: Tuam; in cuius beato pectore iam olim resedit ac domicilium fixit omnis Diuini humaniq́ Iuris scientia. Denique cùm his veluti gradibus ad Honores Academicos eatur consequendos; illorum ego partem aliquam absque nutu & auspiciis Illustrißimi Cancellarij nostri quærere, ducebam religioni. Annue igitur, Magne Præsul, & cùm omnia studiorum genera aucta & ornata esse mirificè velis: tum nostræ, imò Tuæ, Iurisprudentiæ potißimùm hoc deberi existima, vt Celsid: Tuæ beneficio, tanquam salutari numine, vires sumat & incremēta; eosq́ tandem fructus adferat, qui Deo non ingrati, Patriæ vtiles, denique non indigni Academiâ meritò habeantur. Mihi verò, cui semper in votis fuit, inter deuota Celsit: Tuæ capita censeri; curæ deinceps erit, vt Illustriß: Nomini atq; Honori Tuo poßim aliquando haud profanus mysta adolere. Datum Cracouiæ in Collegio DD. Iureconsult. Idib. Ianuarij Anno Domini, 1618.

Illustriss: ac Reuerendiss: Cesit: Tuæ

æternùm deuotus

Andreas Petricouius.

ΕΥΚΤΙΚΟΝ

Ad Cl^m V. D. And: Petricouium I. V. Candidat.

M. Laurentij Smieſskowic.

DIVIS perge fauentibus
PETRICOVI, animæ dimidium meæ;
Quò te non Dea cæcula
Impellens agitatu variabili
Hærentem axe vago rotam;
Non auræ fauitorum miſerabiles
Affectu malè conſcio
Prognatæ: tua ſed quò tua candida
Virtus te vocat, arduis
Semper ſollicitans pectora niſibus;
Et nunquam comitata non
Poſt ſe, promeritis quæ exit honoribus.
Hoc deſiderio calet
Altrix noſtra, Parens noſtra, Academia;
Hoc omnes acribus volunt
Votis, deproperes hoc iter ociùs,
Metam & feruidus occupa.
Iam te cura genis decolor exuit
Incîdens ſapientiæ
(Oraclo Socratis) pallida ſymbola
Doctam per faciem tuam.
Iam nos Heſperiæ dedecorant plagæ
Magnam quæ ingenij tui
Spectabant, oculis inuidiæ, indolem.
Ergo perge auibus bonis,
Decurrasq; tuum conſiliantibus
Diuis curriculum hoc breue.
Et preſſò cubito neſcius vſpiam
Indulgere, Academiam
Perge ornare tui dotibus ingenī,
Pleno quas tibi de penu
Naturæ ingenuit rara benignitas.

QVÆ-

QVÆSTIO
ex cap: Vigilanti.

EXT: DE PRÆSCRIPTION.

junctâ L. vnicâ.

COD. DE VSVC: TRANSFOR.

V. Bona fides necessaria sit in omni genere Præscriptionis; ita vt si, vel initiò dum res possideri incipit, vel in medio tẽporis lege definiti, vel in fine dum absoluitur Præscriptio, vel denique eâ iam completâ, superuenerit mala aut dubia fides; impediatur effectus Pręscriptionis: nec né?

CONCLVSIO I.

Bona fides necessaria est ad vsucapionē & Præscriptionem: non eam tantùm quæ est longi aut longissimi temporis; sed ad illam etiam cuius origo excedit hominum memoriam.

COROLLARIA.

1. *Quamuis leges Ciuiles non multum laborent de Bona fide in Præscriptionibus 30. vel 40. annorum: tamen standum est in his dispositioni Sacrorum Canonum.*

2. *Solet interuenire Bona fides etiam in Contractibus & Actionibus, quæ idcircò Bonæ fidei appellantur: sed in his designat humaniorē quandam ex æquo & bono interpretationem; siue exuberantiam fidei.*

3. *At Præscribentis Bona fides consistit in ignorantia rei alienæ: sicut mala fides in conscientia eiusdem.*

4. *Ignorantia, in qua Bona fides consistit, facti est non Iu-*

non Iuris: hæc enim quæ Iuris dicitur, minimè iuuat Præscribentem.

5. *Non sufficit ad Præscriptionem Bona fides: sed requiritur etiam iustus Titulus, & Possessio cõtinuata tempore à legibus definito.*

CONCLVSIO II.

Ad inchoandam Præscriptionem requiritur necessariò Bona fides; ita vt non satis sit, si quis rem possidere incipiat cum fide dubia, postea verò continuet possessionem fide Bonâ.

COROLLARIA.

1. *Non est necessarium vt Possessor præscribere volens, aut completâ iam Præscriptione, probet Bonam fidem: allegare tamen debet eandem; præterquàm in Præscriptione immemorabili.*

2. *Bona fides auctoris prodest successori ad præscribẽdum, quocunq; titulo succedat: sed mala fides illius nõ nocet successori; dummodò is sit in Bona*

fide, nec vtatur adminiculo temporis alieni.

3. *Datur medium inter Bonam & malam fidem, vt est Dubitatio: si tamen ad alterum extremorum sit reducenda, potiùs ad Bonam fidem pertinet, quàm ad malam.*

4. *Non potest lege Municipali aut consuetudine induci, vt Præscriptio vel vsucapio procedat cũ mala fide, etiam ad defendendum possessorem.*

5. *Fauore tamen Religionis potest Episcopus jure præscribere vicini Episcopi locum, quem illo negligente conuertit ad fidem Orthodoxam: quãuis ab initio sciuerit rem esse alienam.*

CONCLVSIO III.

Si post inchoatam legitimè Præscriptionem, superueniat dubium an res quæ possidetur sit aliena; non interrumpitur Præscriptio: secùs tamen si superuenerit mala fides siue conscientia rei alienæ.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Dubitans de re quam poßidet ſitné ſua vel aliena, mox tenetur moralem adhibere diligentiã, quâ certò cognoſcat rem eſſe alienam.*

2. *Si tamen dubitet non ſolùm ſitné res ſua, ſed etiam An cũ tali dubio poßit licitè eam retinere vel præſcribere; cenſetur in mala fide eſſe, nec Præſcribit etiam longißimo tempore.*

3. *Ad impediendam Præſcriptionem non intereſt quanto tempore bona fides fuerit interrupta: ſicut nec refert quamdiu turbata ſit poſſeßio.*

4. *Sed intereſt an poſſeßio naturaliter interrupta ſit, an verò ciuiliter: aliâs enim ſoli interrũpenti prodeſt; aliâs cuiuis contra quẽ Præſcribi poſſet.*

5. *Denunciatio facta à non Domino, ſiue mandatum habente, ſiue non; interrumpit poſſeßionem ciuilem, conſtituitq́ poßidentem in mala fide.*

CONCLVSIO IV.

In decurſu temporis, quo ex diſpoſitione legis completur Præſcriptio, adueniens mala fides, impedit effectum Præſcriptionis: dubia non item.

COROLLARIA.

1. *Effectus vsucapionis est acquisitio Dominij tam directi quàm vtilis in re mobili. An autẽ Præscriptione similiter acquiratur vtrumq; Dominium in re immobili?* Problema esto.

2. *Datur Præscriptio per quam nec Dominium, nec quasi Dominium rei acquiritur, sed solùm ius aliquod nobis contrarium extinguitur, exceptioq́; legis auctoritate comparatur, vt allegatio iuris illius competere aduersario ampliùs non poßit.*

3. *Laicus quamuis toto Præscriptionis tempore fuerit in Bona fide: non potest tamen præscribere jus decimandi contra Ecclesiam, aut personam Ecclesiasticam.*

4. *Imò etiam jus non soluendi decimas: siue sit spirituale, siue non: Præscriptione non possunt laici acquirere.*

5. *Reliqua autem quorum poßeßionis capaces sunt laici; nonnisi 40. annorum spacio contra Ecclesiam præscribunt: Centum annis contra Romanam.*

CON-

CONCLVSIO V.

Completâ iam Præscriptione, siue quis dubitet, siue certò sciat rem quam præscripsit fuisse quondam alienam: non tenetur ad restitutionem; sed securè eam possidet, etiam in foro quod vocatur Conscientiæ.

COROLLARIA.

1. *Completur Præscriptio vltimo temporis à lege definiti momento; & quoad suum effectum, tunc maximè incipit, cùm desinit.*

2. *Qui existimat obligatum se ad restitutionem, eò quòd nunc sciat rem quam ante præscripsit fuisse quondam alterius: is si nequeat deponere hanc opinionem, tenetur ad restitutionem aut æstimationem vero olim Domino.*

3. *Restitutio vel est facienda ratione rei acceptæ; & tunc si res deperdita fuerit, cessat obligatio restitutionis: vel ratione iniustæ acceptionis; & tunc manet obligatio restituendi, etiam re peremptâ.*

4. *Etiamsi*

4. *Etiamſi nulla fuerit negligẽtia, ſed ſolùm ignorantia quam vocamus inuincibilem, in eo contra quem præſcribitur; amittit tamen Dominium rei: & transfertur in eum qui præſcripſit, ita vt nullo modo teneatur ad reſtitutionem aut æſtimationem.*

5. *Interdum ceſſante obligatione reſtituendi tenemur adhuc ad æſtimationem rei præſtandam: tamen poſt Præſcriptionem completam, non obligamur etiam ad æſtimationem vero quondam Domino.*

Laus Deo Virginiq; Matri.



Sub felicibꝰ auſpicijs Admodũ Rñdi P. ac Magnifici Domini, M. BASILII GOLINII, Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, Canonici Cracouienſis, & Vniuerſitatis Cracouien: Generalis RECTORIS.